
ARCHIPRO PHETA, TRA GOEDIA

Iam recens in lucem edita.

Autore Nicolao Grimoaldo.



Coloniæ Marti. Gymnicus excudebat, Anno M. D. XLVIII.


BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

ORNATISSIMO VIRO D. RICHARDO COXO NICOLAVS Grimoäldus S. P. D.



Osteaquàm hoc à me Poëma Tragicum, Clarissime uir, confectum fuisset & absolutū, de libroq; nuncupando mecū ipse iam consultarem: habui tandē cum animo statutum ac deliberatum, eius uelut in clientelam fidemq; tradere, qui ut rei literariæ gnarus ac peritus, sic etiam literatorum hominum studiosus atq; fautor existeret. Quē admodum enim neq; in patrocinio indoctorum dignitas ulla, neq; in fastidiosorum supercilio ulla gratia reponitur: ita & ex eruditi patroni iudicio magna operi accedit autoritas, & ex recipientis benignitate multa scriptori adfertur alacritas. Ac mihi quidem in ista cogitatione aliquam diu defixo primùm communis hominum uox confirmauit: deinde morum tuorum obseruatio persuasit, esse te unum præter cæteros, qui tum ea doctrina floreas, ut facilè possis huiusmodi rerum defensionem suscipere: tum ea humanitate abūdes, ut uehementer uelis ho-

nestorum studiorũ rationem attẽdere. Fama nimirũ & auditione accepi, quomodo in utraq; principiò nostratũ Academia moribus atq; disciplinis imbutus fueris: pòst, quæ didiceras, docẽdi prouinciã nactus, recolueris, cõfirmaueris, auxeris: demum eos ex literata pietate fructus perceperis: ut ob egregias uirtutes ingeniĵq; dotes, apud optimũ Illustrissimumq; Regem & gratia plurimùm ualeas, & autoritate. Nam quid ego de sacris cõcionibus dicã? Quarum mirabilem te artificem omnes, quibus auditus es, uno ore prædicant. Amor autẽ ille tuus erga præclaras & ingenuas artes nullo euidentiore declarari potuit argumento, quàm quòd Aedis dicatæ Christo nuper apud nos constituendæ, in optimamq; formã redigendæ magnus autor extitisti: quæ sanè cum Lyceo, cum Stoa, cum Academia, cũ omnibus omnium Philosophorum bibliothecis non splendore solùm ædificij, sed liberalium etiã doctrinarũ eximijs professoribus æquiparãda esse uideatur. Nec uerò sum nescius qua facilitate nonnullorũ epistolas acceperis, carmina legeris, orationes ad te factas audieris, ita ut admoti sint haud mediocres iuuentuti nostræ stimuli: quantaq; diligentia de illorum omnium facultate periculum feceris, qui essent in tam illustre sodalitium cooptandi, ita ut non ex domo illi, sed ex illis domus ornata sit. Historiam

igitur

igitur eã accipe, quæ est de Iohanne Baptista, uate primario & maximo, tibi sanè satis perspectã, sed eo tamen more modoq; pertractatam: qui tam doctores delectare in recognoscendo, q̃ prodesse rudioribus ad intelligendum poterit. Permagni siquidem (quod ipse tu optimè nosti) ad alicuius rei scientiã atq; explanationẽ interest id præstare, quod in Poëmatis maximè cernitur, à quo & Poëtis ipsis nomen dederũt Græci: nempè cùm res gesta uerbis æquatur, cùm personæ tãquam rediuiuæ ac spirantes introducuntur, cùm locus, tempus, dicta, facta illustrantur: cùm omne negotium ita sub aspectum auditumq; subijcitur, ut non tantùm dici aut commemorari, sed fieri iã ac geri uideatur. Huius ego generis exercitationibus præterquàm quod stylum excolo, & inhærentem naturæ peruersitatem (quóad concessum est) frango, & Christo præterea meo frui aßuesco, dum sermonis tractatione & meditatione sacri animus alioqui demißus & afflictus erigitur atq; reficitur. Nec mihi solùm, meisue unius commodis hîc inseruijsse me sentio: sed & illis omnibus, qui uel in eodem operis ac studij genere uersari contendent, uel hanc priorem Euangelij partem sibi quasi ob oculos proponi cupient. Cognoscet hîc, siue lector, siue spectator uerã, solidam, & infucatam pœnitudinem: qua uia inceden-

 dum

dum sit, ut ad Christum ueniatur: quid primus Euã gelicæ disciplinæ concionator tantoperè hominum auribus, ac mẽtibus inculcauerit. Sciet insuper eiusdem mirificum ortum, incorruptos mores, tinctionis uirtutem, ardorem in propaganda religione, loquendi libertatem, pium precandi ritum, acres admonitiones, mortem deniq; Christiano homine dignam. Videbit & illud, hypocritæ quàm sibi placeant, quàm cæci sint amore sui, quàm studeant proprijs commoditatibus: puram autem & synceram sanctimoniam quàm uel dißolutè negligant, uel inimicè insectentur. Considerabit quoq;, impium à Deo repudiatum tale monstrum esse, qualis Herodes extitit. Nec abs re fuerit, animaduertere muliebrem petulantiam, luxus regios, aulicorum assentationem: contrà plebeiam simplicitatem, modestiam discipulorum, Baptistæ constantiam ac fidem, & alia quædam scitu fortasse cognituq; non iniucunda. Quæ si tu (honoratißime uir) humanè & comiter exceperis, meq; in aliqua parte apud te hærere, interq; tuos numerari permiseris: profectò & ingentes mihi animos dabis ad maiora molienda, & efficies tantã tuã ut benignitatẽ studio colam sempiterno. Vale. Det Deus propitius te diu nobis reiq; publicæ incolumem, uir doctißime & integerrime. Oxoniæ, Ex Aede Christi. Anno D. 1547.

Per-

PERSONAE.

Iehoua, Pater cœlestis.
Iohannes Baptista.
Discipuli Iohannis.
Chorus plebeiorum.
Philautus, } Pharisæi.
Typhlus, }
Gelasimus, morio Herodis.
Syrus seruus.
Herodes Rex.
Chorus Herodianorum.
Syra ancilla.
Herodias regina.
Tryphera, filia Herodiadis.
Chorus coëpulonum.
Chorus Idumæorum.

ACTVS I. SCENA I.

Iambici Trimetri. Iehoua.

EX largitatis fonte abundantissimo
Depromi amicam in gratiam mortalium
Quid amplius potest, quàm prolem ut unicam
Impartiamur, unicum ad cœlos ducem?
Nec parua nos huiusce facti gratia
Manere debet: intereritq; sedulò

Amplecti, & eximijs dignari honoribus.
Quod ipsum perfici pacto haud alio potest
Prauos rectißimo, impios integerrimo
Visente, quàm ut se filios iræ sciant,
Suas abhorreantq; turpitudines.
Monendum id unum, unumq; præter cætera
Et omnibus seclis, & hoc quò erraticis
Honora lux affulgeat mortalibus,
Quam nunc adesse commonebatur satis
A Patriarcha, quandò morti cederet:
Tum protinus nostri adfuturum uindicem,
Iudæ cùm sceptrum propago amitteret.
Ecce tibi, nunquid Herodes homo nouus
Rerum potitus est, pastusq; sanguine?
Sobolemq; liquit hæredem tyrannidis?
Quò sit tamen testatior, quò plus ualeat
Is, qui iam adest, autoritatis pondere:
Baptista, legatum placet decernere
Te, nube qui humana tecto pares uiam.
Monstranda cuiq; primùm errata sunt sua, ut
Intelligat, quàm opus sit pœnitentia.
Mox exhibendus assertor salutis est.
Is eximet fidentium piacula,
Gratisq; conferet sedes Olympicas.
Tu perge, quæq; Iordanis sonum dedit
In littore, ipsis deinde ciuitatibus

Hoc

Hoc usq;, & usq; clamitet: Dimeter.
Rectam fieri Deo debere semitam:
Spem humani acuminis, cultus nefarios,
Operumq; nitelas: breuiter mala omnia
Exterminanda, & audiendum uocibus
Nostris, & in Deum esse figendam fidem.
Turbare perge montes, & retundere
Ferocientes spiritus: extollere
Conare ualles, & demissa pectora.
Christo quod aduentanti obstare uidebitur,
Incommodóue poßit esse, rescindito.
Nec te tyrannus Idumæus pauidum faciat.
Audentiùs contrà ito, nobis præside:
Vinceesq; maximè, quòm te uictum autumat.
Nusquàm abero, te tutis fouebo uiribus.

ACTVS I. SCENA II.

Iambici partim Dimetri, partim Senarij.
Ioannes. Discipuli. Chorus plebeiorũ.

VEni ter summe spiritus,
Veni, tuorum repleas
Fidelium pectuscula,
Amore ut ignescant tui.
Qaem uidi lapsum ab æthere
Columbæ induto corpore

Regem super descendere.
Fac noscamus patrem deum
Christo docente filio.
Nec hunc recuses mittere,
Parens, per orbem Spiritum:
Et innouabis omnia.
O conseruator unice,
Tuorum qui sacra soles
Aura benigni numinis
Afflare corda liberûm:
Superno da solamine
Viuamus, amoto metu:
Da præpotens, ut gratia
Quæ nos creauit, recreet.
Hac nemora tenùs, & deuia occupans loca.
Sua populum paßim fatentem crimina
Iordanis irrigante lustraui freto:
Recepiq; in fidem, atq; Christiadum gregem. In
Iordane Naëmanus lepram absterſit Syrus.
Iordanem Hebræa gens olim Deo duce
Tranauit, optatam cùm adiret patriam.
Iordanem ad ipsum, quem tam sæpè iam adfore
Dixi, Deum ostendi coactis gentibus.
Mouetur nunc(uiri)mens nostra, saltibus ut
Relictis, deinde gressus per medias feram
Vrbes; & ut nullo retardatus metu

Scele

Sceleſtis liberè dicam mortalibus,
Nefandi eos quamprimùm pœniteat ſtatus:
Fauſtumq; iam diem captent, quo uocibus
Promiſſa tot uatum uenêre numina.
DISC. Haud parua nos tenebat admiratio,
Interrogantibus reſponſa cùm dares:
Te non Deum eſſe, aut Helian, uatem'ue. Sed
Tamen dic feriò: non tu horum quiſpiam es?
IOH. Nec ſum Soter mundi uenenati ſalus,
Nec unquàm prædicabor illo nomine.
Quàm ſæpè teſtificatum ſciſcitantibus
Dedi, eſſe prorſus indignum me homunculum,
Huic Regi ut uel calciamenta detraham?
Propheta nec ſum Teſbius, trans aëra
Qui ardente curru in ipſum uectus eſt polum.
Quanquam (fatebor) idem agit me ſpiritus,
Eademq; uis mouet ſupremi numinis.
Vates nec inter præſcios poni queo.
Turbas docebant, atq; ducebant uagas
Illi: quibus nouum ipſe demonſtro ducem.
Illi futura prædixêre numina:
Digitum ſed ipſe præſentem intendo ad Deum.
Illi ſubobſcura edidêre oracula:
Sub aſpectu ſunt ipſe quæ pronuncio.
DISC. Amâbo idcircò nunc qui ſis, doce tuos,
Animi nec ambiguos diutiùs tene.

IOH. Amoides ille uates apud seclum prius
Cecinit uocem per atra clamantem auia:
Sternatur ampla Regi uenturo uia.
Ea ipsa uox ego, atq; ille ipse præco sum.
DISC. Modo sed quo uia ista Regi sternitur?
IOH. Tanq̃ sui sunt serui honoratis uiris,
Qui saxa, qui scrobes, qui heri quicquid uiam
Poßit salebrosam horridam'ue reddere,
Auferre cum summa solent industria:
Ita mortalium ingressuro animos Deo
Eximere pectorum decet me obstacula,
Id est, peccata plurima & grauißima,
Eorum maximè, qui Pharisaicam
Præ se ferunt iactantq; sanctimoniam.
Huc nostra spectat functio potißimùm,
Vt quisq; in agnitionem adducatur sui:
Vt quilibet sciat quàm poßiet parum,
Tetroq; sit totus coopertus crimine.
Ita planum fuerit, cuiuis uel optimo,
Dei peropus esse lenitate & gratia.
DISC. Quo pacto habebitur nostrimet agnitio?
IOH. Præ oculis habete primus quo statu parens
Patratum post scelus fuerit, de quo sumus
Creati & nos, patri proles simillima.
Habitabat ille hortum quidem pulcherrimum,
Et in creata erat præfectus omnia.

Habe-

Habebat mentis optionem liberam,
Mallet'ne fas sequi, an nefas incurrere.
Hoc summus autor in mandatis ei dedit,
Quoquo modo ne adduceretur, ut semel
De tentatrice uesceretur arbore,
Pœnas daturus ausis dignas talibus.
Adamo hunc inuidens Orcus impauidus locum,
Velut iuratus hostis, è solio uirum
Studet turbare. Fœminam per flexilem
Attentat, inducit. Mox illa proruit
In mâlum, idemq; persuadet coniugi.
Labascit fœmineis uir uictus uoculis,
Auidoq; morsu poma captat improba.
Hinc illæ lachrymæ, nostra hinc calamitas,
Hinc sempiterna turpitudinis nota.
Caducus est factus ex indissolubili,
Ex integro sentina corruptissima,
Ex libero suæq; spontis habens malo
Voluntatem, & naturam deditissimam.
Ex unicè charo uas est iræ Dei,
Cœlestis ex hærede beatitudinis ab-
Dicatus, & deuotus ad ima tartara.
Potiores esse uos parente creditis?
Malam arborem fœtus bonos dare quis putet?
Is impius fuit, nos impij sumus.
Is uanus extitit, nos uani existimus.

Is ua-

Is insito subiectus est reatui,
Seruimus inhærenti nos turpitudini.
Nam liberum seruus progignere quî potest?
E carne quod natum est, caro est: quæ spiritu
Cùm destituatur, ecquis uirtuti locus?
DI. *Quid ergo? quid? Legis'ne præscripta exequi*
Conabimur salus indè ut speranda sit?
IOH. *Mutare si Aethiops potest pellem suam,*
Suos aut colores Pardus: & penes uos erit
Malum natura ab ipsa haustum relinquere.
Potestis nil cupere? Potestis proximos
Amare ut altros ipsos? Potestis cætera
Edicta Legis ultrò, & ex animo sequi?
Cuiusq; uestrûm appello conscientiam.
DISC. *Tam uera prædicas, quàm quæ certißima.*
Deo si nos intercedente iudice
Ignes manent, ignes gehennæ perpetes:
Quid tandem agemus omnium miserrimi?
Pronunciat execrabilem, legalia
Præcepta qui uiuendo non expreßerit.
Quò nos feremus? huic quid responsabimus?
Nostræ imbecillitati quis medebitur?
IOH. *Facitote nunc, ut Legis ex præstantia,*
Vestra explorata fiat impotentia.
Lux ista nil uobis'met arrogare, sed
Reuera indignitatẽ ac turpitudinẽ faciat sentire,
deplorare, & habere odio Vo-

Vostrûm iam si quis hæc bene perpenderit,
Quàm se reprendet? quàm nihil dabit sibi?
Alienum quàm lubenter subsidium petet?
Sed inuenire non est, præter quem cano
Summum Deum, qui ferre suppetias queat.
Hic æquitas nostra est, hic nostra sanctitas.
Vos hunc magistrum, uos ducem hunc optabitis.
Cuius quidem erga uos immensa munera,
Quæ nunc daturus in terras delapsus est,
Ratione posteaquàm lustraueritis intima:
Nil, siue iucundum & uoluptuarium,
Siue insuaue ac plenum doloribus fuerit,
Valebit unquàm ab eius amore auellere.
Corde infimo iam uos in genua prouoluite,
Palmas & lumina in cœlum iam tollite,
Mecumq; numen implorate supplices:
Sis tu benignus ac bonus **Dime.**
Nobis, Pater, precantibus.
DISC. *Sis tu benignus. &c.*
IOH. *Propensionem agnoscimus*
Mentis, Deus, deterrimam,
Naturam in quæq; pessima
Nostram rebellem proijci.
Hanc elargire gratiam,
Indigna quàm sine pondera
Vt sentiamus criminum,

Tui nos cura ut urgeat.
DISC. Sis tu benignus. &c.
IOH. O ipsa qui es benignitas,
Vetusti Adami moribus
Ablatis, inseras nouos,
Tuo & refinge spiritu.
Si nos fouens hoc flamine
Pacabis nostra pectora,
Clamabimus, Pater, Pater,
Te corde adorantes pio.
DISC. Sis tu benignus. &c.
IOHAN. Fiemus hinc certißimi
De amore nos erga tuo,
Nobis beandis unicum
Mori quòd natum iusseris.
Qui ob id cùm iam demittitur
Cœlo, terrisq; inambulat:
Fac mente syncera, Pater,
Poßimus hunc admittere.
DISC. Sis tu benignus ac bonus
Nobis, Pater, precantibus.
IOH. Agite hoc frequentiùs, atq; inconcussa fide
Supremum sic uocate uos uotis Deum.
Tamen quia is uult uerè, & ex animo coli,
Quò haud uestra pertinebit imbecillitas:
A Patre per Natum piè contendite,

In uos

In uos abundè sacrum ut efflet Spiritum.
Ferat qui opem uestris infirmitatibus,
Et optima precandi formula instruat.
Iam iter emensi turres Herodis arduas
Propè cernimus, iam ostentare ædificia sua
Vrbs incipit. DIS. Subibis an Regis domum?
IOH. Subibo, haud absq; spe lucrandi Principis,
Populus quem præuium statim sectabitur.
Ergò auspice Deo nunc, uiri charißimi,
Vicinam in urbem, qua uia ducit, pergite.
Ponè ego facta precatiuncula sequar.

O qui tuos amplecteris — Dimeter.
Paterno amore filios,
Per omnes terrarum plagas
Celebretur nomen tuum.
O qui polo demißus es,
Pro plebe facturus satis,
Oblatam fac ut ne uiri
Salutem negligant suam.
O qui uitam inspiras nouam,
Omnemq; cursum dirigis,
Mortalium tu pectora
Haustu repleto numinis.
Numen triplex & unicum
Iunctum perenni fœdere,
Da uiuidas uires mihi

Tuam straturo semitam.
Rex cum suis rectè audiat
Quem tu dedisti nuncium.
Ego fidenter expleam
Mearum quæ sunt partium.

CHORVS.

Versus Anapestici, seu Pindarici.

LEx prisca locis data desertis
Per inhospita erat antra ferarum.
Itidem syluas inter opacas
Cœpit noua lex notior esse.
Hic læticiæ plena crepat uox
Quæ nos nobis graphicè ostendens
Linquere nostra docet, atq; monet
Ad gratuitam ire salutem.
Vastos per agros ille, ille sonat
Fuco alienus, pius, intrepidus
Præco, & ab omni parte probandus.
Hic hic procerum laudibus amplis
Nihil intumuit. Non hunc Mystæ,
Non Pharisæi, non instructi
Fraude Leuitæ mulcere nouis
Titulis poterant: siue supremi,
Seu Tesbiaci, seu popularis

Vocitaretur nomine uatis.
Laudem unius amplificare
O Christe tuam concupiebat.
Sed & ipsorum iurgia spreuit,
Qui noua cœpta reprehendebant:
Vostros animos inspicite (inquit)
Deprauatos, turpes, miseros,
Et genuina labe nefandos.
Non modò facta, quin dicta etiam
Ac meditata uestra trahent uos
In auarum Orcum, ni Deus insit
Pectore uostro. Hunc hunc precibus
Ergò uocate, hunc supplicibus
Quærite uotis: Quærite, ut ille
Vobiscum habitet: quærite, ut eius
Vestram foueat gratia mentem.

ACTVS II. SCENA I.

Philautus. Typhlus.

Supreme Iehoua, quorsum ista pertinet Senarij.
Noua religio, quam hic introducit aduena?
Pharisæis ita dedit responsa Solymis?
Ita usus est inaudito baptismate?
Quasi lotionibus nostris absit puritas.
Manibus edulia lotis cuncta tangimus.

Lauamus è foro reuersi corpora.
Mundàmus aquis sellas, patellas, pocula,
Cubilia picta, & omnem suppellectilem.
TY. *Docuit peccata item faterier sua*
Rudem popellum: nil nos tale docuerit.
Nos plures quàm ille fundimus preces Deo.
Heddomade nos uno bis abstinentia
Feram domamus carnis impotentiam.
Decimam nos elargimur indigis partem Scazō.
Nostrarum opum omnium. Nos *infra sunt alij*
Plæriq; mortales. PHI. Et *is tamen (sua*
Quæ est impudentia) omnia hæc uertit uicio,
Nihiliq; pendit, auditis modò credimus.
Peßum profectò, si pergit, nostrum ordinem
Dabit. Reprendit *cuncta, laudat neminem.*
TY, *Quandô igitur urbem in isthanc aßerunt eū*
Venisse, de aduentu Regem *monebimus,*
Arcere qui & uult, & potest, si errauerit.
PHI. *Rectißimè putas.* Nam *illum si carpserit,*
Aequa nequaquàm (opinor) mente perferet
Apud plebem tamen quia gratiosus est,
Eum contra coràm nihil prosabimur.
Sat est, si cogatur cum Herode *colloqui*
De religione, & de sacris ceremonijs.
Contrarijs non congruent contraria.

Actus

Gelasimus. Pharisæi. Syrus. Herodes.
Chorus Herodianorum.

Quis (hem) pultando nostras effringit fores? Senariu
Hem, adsum sancti sancti, adsum (hem) pa-
Auete, auete. Hui q̃d tot preculæ uolũt? (tres mei.
Sic sæpè labra motat nostra simia.
PHI. Dic sodes, ubi Rex est? GE. Vbi Rex? hic, ego
Sum rex morionis. PHI. Non: morio tu Regis es,
Benè si conuertas. GE. Au: morio tu Regis es.
Benè pater doces, morio tu Regis es.
TY. Syrum nobis, amâbo, è tectis euoca.
GE. Exi Syra, procu' adest: amâbo (inquit) Syram.
TY. Ha per Deos omitte plura dicere.
Vah nec te conuenire auemus, nec Syram.
GE. Facilè credo, ne aselli sitis ad lyram.
PH. Nihil iste aget. Pulsandum Typhle rursus est.
GE. Magistelli mei quàm multa mußitant?
Mum, mum: ba ba: be be: annon bellu' ego quoq;
Pharisæus essem? sed labra terit hic labor.
SY. Quis ad fores? Hui, uos eratis hic patres?
Quid statur? quare non tulisti' intro pedem?
TY. Nec pensa nostrarum precum persoluimus,
Molestos interuenire nec decet Regi. Scazon.

SY Habetis ergò, quod Rex ipsus audiat?
TY. Habemus, tu modò parare uiam uelis.
SY. Faxo lubens. TY. Eum nos hîc morabimur.
GE. Pulchrè iuuat nos cum morione morarier.
Ohe, nummos distribuunt. Date, hæc aliquid caua
Capiat manus. Ohe, factum liberaliter.
Hijs ego pecunijs emam ex Syra osculum.
SY. Pharisæi te, Rex, præstolantur ad fores.
HE. Nec hos introduxti? SY. Recusant ingredi,
Precibus quia non adhuc est meta posita suis.
HE. Quid ô Mystæ nunc principes, rei quid est?
PHI. Iamdudum fama nostras ad aures pertulit,
Rumorq; uerus & constans percrebuit,
Venisse in urbem hanc, sacra qui doceat noua:
Opaca inter ferarum lustra qui hactenus
Valde asperam uitam traxisse dicitur.
Eô confluxit proximarum gentium
Numerosa multitudo, inter quas uel bona
Pars tinctionem, & doctrinam eius arripuit:
Ibiq; nactus est multos comites, manus
Nec parua plebis hunc quaqua sequitur uia.
Tuæ maiestati hæc monstranda duximus,
Ne te ignorante ritu' irreperent noui.
HER. Vadite, lustrate ciuitatem omnem citò.
Aut hunc adducite, aut ex eius assectis.
Gustare, & horum, & sermonem ipsius uolo.

GEL.

GEL. Abijt Rex intrò ad uxorem, & cũ eo Syrus:
Togati ad templa Pharisæi: domestici
In urbem: ego iam rectà in promptuarium.
Manete, dum apporto potum sitientibus.

ACTVS II SCENA III.

Syrus. Syra. Gelasimus.

Mirum cuiquam erit, q Rex Herodiadem Senariu
Sic ardeat? sic in mente atq; oculis ferat?
Cui formæ fulgor ac decũ est eiusmodi, ut
Videntur esse diuinum naturæ opus.
In oculis ipse amor locum elegit sibi,
Petis, proteruis, claris, ludibundulis.
Ebori' instar candidi dentes. Labellula
Suffusa natiuo quodam uelut minio.
Nasus elegans uenusto libratur spatio,
Eöæ pulchra par est auroræ coma.
Genas formosas grata tingit purpura.
Serena frons, & tanquam stella, lucida est.
Ab ore roseo dulcis ambrosia fluit.
Collum tenellulum, succi plenum, uiueum.
Papilla laxum haud prominens implet sinũ,
Sed circumcisa, mollis, blanda, eburnea, ac
Tenero æqualis botro sedet rotundula.
Totius membra corporis scitissimè

 Com-

Compacta, Regi amore sunt dignißima.
Sed digniora sunt morum suauitas,
Et linguæ gratia, quêis priori coniugi,
Et cæteris multùm antecellit fœminis.
SY. Etiam, Syre, hæc ad tanta naturæ bona
Accesßit optimæ fortunæ flatus, &
Vitæ mirabilis quædam iocunditas.
Quàm animi ex sententia totô exigit dies?
Comando insumit matutina tempora.
Vir ad mensã accipit post lautè & splendidè.
A cibo, amœnis confabulationibus,
Collusionibus, ambulatiunculis,
Iocis, osculis, risuq; tempus fallitur.
Tum cœna sumptuosa cantionibus
Sequitur condîta lætis, quam excipiunt choreæ,
Tali, alea, teßeræ, ac potatiunculæ.
Soporam feruido dat noctem coniugi,
Et somno. Easdem cum sole ad uices redit.
GE. Solus cum sola? hui. Syrus cum Syra? ohe.
Heus, heus fugitis? heus, heus Syra, est quod te ue-
Nam (quod quidem inter nos licebit dicere) lim.
Habeo tibi denarium, sed ita tamen
Mihi ut reddã osculum. Ah, ne fuge, obolum quoq;
Adijciam, si geres morem: mane, mane.

Actus

Herodes. Herodias. Gelasimus.

Quẽadmodũ agitur deliciolũ meũ? HE. Her-
Si lætus es tu, ego læta, liliolum meũ. (cule.
HER. Quis, ô quis talem non amet faciem lubens?
Quis non exosculetur hanc lubentius?
Da, da roganti basium mihi, cor meum.
HE. Sic, sic, suauißimum caput. Sanè nihil
Mutuum ad amorem iam poße adijci puto.
Regit mens una nostra amborum corpora.
Idem est uelle, est idem nolle, ijdem ambo sumus.
Ego quidem (apertè ut proferam, quod sentio)
Ex te uno maximam uoluptatem capio.
Tu (quod palàm in dictis, factisq; cernitur)
Ex me una maximam uoluptatem capis.
Quæ non mihi nego, nec negare soleo tibi.
Quæ non tibi negas, nec negare soles mihi.
Ego Herodem dies, noctesq; cogito.
Tu Herodiadem dies, noctesq; cogitas.
Reuelli à te, non si maritum Cæsarem
Sperare ausim, uellem, amicũ ô decus meũ? HE. Vt
Veneres fundis Venus mea mellitißima?
Nunc progrediamur. Iunge te lateri meo.
Est compellandus aduena hic nobis. Scazon.
GEL. Talem ô si coniugem daretur ducere,

Perpetua cantilena isthæc foret mea.
Quã pulchra amicula mea? q̃ pulchra amicula es?
Vt interim taceam quod est intrinsecus.
HE. At qui hic erit peregrinus, cuiusmodi est?
HER. Rerum esse sacrarum autorem aiunt nouum,
Comitatum plebe, & aßuetum saltibus.
HE. Me si audis, ne manum cuiuis porrige.
HER. Hominis iuuabit ex sermone scire, qua
Vagum popellum instruxerit fiducia.
Nisi fortè in ipsius natura eluceat
Excellens quippiam, illicò amandabitur.
HERO. Rectè statuis, mihi hæc sedet sententia.
HER. Adsunt: Deferte sellulas, mora sine.
Nobis alteram, sodali ponite alteram.
Hic sciscitantes sub dio sedebimus.

ACTVS II. SCENA VI.

Chorus Herodianorum. Herodes
Herodias. Chorus Plebeiorum.
Discipuli Iohannis.

Quod imperasti Rex, quos apprehendere
Licebat, rusticos, comitesq; adduximus.
Haud occurrebat ipsemet quærentibus.
HER. Ruricolæ, amâbo qua spe consectamini

Pere-

Peregrinum iſtum? aut ei quæ uita uiuitur?
CHO. Plé. Scelerũ ſi conſcia mens internũ uulnũ
Nociua ponere, & ſalubria ſumere (habet.
Docet. Trãquillitatem conſciemiæ
Per hunc nos poſſe conſequi confidimus.
Vixit uerò integerrimê. Nempè à puero
Se ſubducens frequemi à multitudine
Commercioq; uulgi, eremum intrauit. Hîc
Veſtitus hirſutis cameli pellibus
Syluestres melle miſto captabat cibos,
Similisq; uictu erat lucos colentibus,
Turbam & multam ſordes fatentium ſuas
Superfuſis tingebat in Iordane aquis.
HER. Quid ais ad hæc, noſtra? HE. Nunq̃ audita
HE. Inuſitata, ſi hæc ita ſe habẽt, canũt. (pferũt.
CHO. PLE. Et plura, & mira de huius ortu dicere
Comites ſciunt, ad ſumma natum quæ arguunt.
HE. Memorate quæſo, nos intenti ora tenebimus.
DIS. Sacerdos fortè Zacharias unũ optimus
Abiadã inter, delectus eſt opera ad ſacra.
Coniuncta cui coniunx animo Eliſabeta erat.
Vnum torquebat hos malè, quòd peſſumè
Audirent, nullos cùm tuliſſent liberos.
Adeoq; canam ad ætatem peruenerant,
Omnisq; ſpes prærepta erat propaginis:
Quôm uice fungens ſuo maritus munere
Sacræ

Sacræ ædis intima intraret solus loca.
Tota expetebat illic mente præmia
Coniugij, hominum & salutem ab imo pectore
Rogabat expectatam multa secula.
Ecce tibi, de cœlo ipso lapsus Angelus
Dextera stetit, miroq; fulsit lumine.
cazon. *Tremuli quod huius oculi ferre uix poßet.*
Cui Nuncius, Collige teipsum, inquit: Supplices
Aethereus audiuit preces Rex. Nam breui
Veniet Seruator, & coniunx edens tibi
Anteambulonem magnum maximi Dei
Pensabit hunc miro merorem gaudio.
Ioannem natum uocabis nomine:
Et dotibus præstabit hic, & munere:
Neq; uoluptatibus luxuue diffluet:
Contentus at lympha tenui, nec uina, nec
Siceram hauriet, nec quod uim mentis arduam
Tardare, lædere, aut penitus adimere queat.
Nimirum materno latentis utero
Pectus replebit totum Spiritus sacer.
Multo' olim uertet ad surgentia lumina.
Nam Heliæ instinctus numine ac potentia
Summa loquendi libertate, perficiet,
Suis mortales ut sceleribus agnitis
Teneantur uenturi desiderio Dei.
Hæc nuncius. Zacharias posito metu;

Que-

Quónam, inquit, argumento huiusce gaudij
Futuri nobi' hærentibus facies fidem?
Nunc & mihi planè, & pudicæ coniugi
Senectus effœta seculis prolem negat.
Solitus naturæ cursus an mutabitur?
Quo continget modo uigore, & sanguine
Vacuis, quod annis haud accidit florentibus?
Tum ille; Gabriel, ait, sum ego interpres Dei:
Cuius uerum esse nuncium quò intelligas,
Cùm signa prolis adfuturæ clara, tum
Capies inanis pœnam diffidentiæ.
Fugiet uox, nec licebit sensa promere
Dicendo, donec in lucem tuus êditus
Filiolus dicta comprobauerit mea.
Dum aguntur hæc ædi' in sacræ penetralibus
Senē inter & Angelon, turba omni' ad ostia
Expectat insuetas trahentem illic moras.
Tandem progreßus est foras, uoltu quidem
Mirabilem præ se ferente læticiam:
At cogitata prorsus conantem eloqui
Menti' index sermo, linguæ & usus deserit.
Hinc colligunt eum, solo cùm eßet loco,
Cœleste quippiam mortali lumine
Hausiße. At ille, quo saltem poterat modo,
Signis nutuq; uocis exæquat uices.
Iam functionis absoluto tempore,

Domū

Domum ad uxorem statim se contulit suam.
Quæ simul ac senserat moueri uiscera,
Sese abdit in conclaue rem totam tegens
Quinto usq; dum orbe luna recrêrat menstrua:
Et secum; Nunc uideo Deum, inquit, maximo
Cumulaße me beneficio, quòd pignore
Inexpectato connubium decorat meum.
Ità ut iam haud infœcunda dicar ampliùs,
Sed facta mater eiũ unius munere.
Ergò promißa lux aderat, & tempora
Complêrat uxor iusta, cùm auras sentiens
Vitales anili īnfans è uentre prodijt.
Tum confluentes agminatim plurimi
Cognatione quidam propinqui, & amicitia
Gratantur mirandum in modum puerperæ,
Deus quam pulchra prole matrem fecerat.
Et octauam cùm uidißet lucem puer,
Ex more cognatiq; eò conuenerant,
Vt pellem inscinderent, ac nomen inderent,
Putantes uelle mutum, & elinguem patrem
Idipsum quod uulgò est ferè gratißimum,
Genitoris nomine hunc puellum insigniunt.
Mater contrà secreto edocta flamine: haud
Zachariam, ast Iohannem palàm aßerit
Vocari oportere. Illi uoce incognita
Conturbati negant sua quenquam in tribu

Id nomini obtinere. Consulitur pater,
Vt signa, quo modo esset affectus, daret.
Resignatis tabellis tum scriptorijs
Animi concepta pandit interpres manus.
Loquuntur uoce pro uiua mutæ notæ
Iohannes nomen summo editum è polo,
Stupefacti sunt omnes, & attoniti nimis,
Quia noua illis placebat apellatio,
Matriq; surdus assentitus est pater.
Qui protinùs quòm scripserat, factu' eloquens
Bonitatem, & æquitatem prædicat Dei.
Tremefecit horridus uicinos tum stupor,
Et corda per gentes humilis strauit pauor.
Nam nuncia extemplò harum rerum fama, per
Iudeæ sinu' & regiones proximas
Volans, replebat his aures sermonibus:
Peperiße anum, demißa nomina æthere,
Diuinitùs promißum filium, patrem
Mutum, è mutoq; redditum facundum. Ita ut
Stupescentes plæriq; apud se dicerent:
Quis hic tam prodigiosè prognatus puer
Futurus est? Nam tot rerum miracula
Testantur ortum haud diuino sine numine.
HE. O mi uir, hæc quidem nobis oratio
Clarè depingit hospitem minimè malum.
HE. Sic mihi uidetur prorsus, suauium meum.

Quæ

Quæ tam miranda narrauistis, ô uiri,
Faciunt ut optimè de ignoto sentiam.
Maturate, & duci reperto dicite
Apud nos magna in expectatione eum
Esse, & patēre ingreßuro nostros lares.

ACTVS II. SCENA VI.

Philautus. Typhlus.

enarius. Qvàm uariū uolgus est, & quàm uolaticū?
Quàm citò desciscunt à uetustis ad nouas?
Vides'ne plebeiūm quanta hunc stipet manus?
Periculum est, ne nostrum obscuret ordinem,
Paulò plus si inualeat. TY. Nemo hactenus potuit,
Tametsi id moliebantur quàm plurimi.
Nam explosa iampridem Eßenorum opinio est:
Fato fieri quoniam putabant omnia.
Qui pendier censum uetabant Cæsari,
Coörtis erant extincti seditionibus.
Saducæi supersunt, qui tum moribus,
Nobis quidem cedunt, tum opinionibus.
PHI. Quid si, ne forsan hic impostor impudens
Popellū ad quintam sectam à nobis auocet,
Aduersùs hunc Saducæos acuamus quoq;?
TY. Herclè, uti dicis, licèt sint aduersarij,
Nec animo coniuncti, uitæ'ue formula:

Amici

Amici erunt in hoc tamen negocio,
Quòd & ad eorum æstimationem pertinet.
PHI. Agè, persequamur institutum haud segniter.

ACTVS II. SCENA VII.
Iambici, partim Dimetri, partim
Senarij. Ioannes. Discipuli.
Chorus Plebeiorum. Syrus.

SVmma ô Patris potentia,
Iesu clementißime.
Aspirans, ut fauonius,
Meos conatus præueni.
Et adiuuans, ut dux bonus,
Bonos progreßus annue.
Verè tu uerbum Patris es,
Verè tu mens, tu dextera.
Verbum iam uerba suppetat,
Mens autem mentem dirigat,
Ducatq; dextram dextera.
SY. Extrarium istum in conspectum dari cupio,
Apud nos tanta cuiuis expectatio est.
DIS. Vagantes huc illuc te quæritauimus,
Magister. Quare tam diu moram creas?
CHO. Ple. Rex cognito uitæ modo, ac origine
Tua, miro affectu' est desiderio tui,

C Requi-

Requirens congreſſu atq; ſermones tuos.
IOH. Hæc ipſa non me, ut ſpero, ſed Deum efferēt.
Petroſa, comites, conſcendamus limina.
SY. Quid? hiccine eſt? ita. non. imò ita, ipſus eſt.
Similes habent lactucas labra. Quàm pares
Ruditate ſunt? Herus procedit obuiam.
Aggredere, quicunq; es. Rex conuenire uult.

ACTVS II. SCENA VIII.

Iohannes. Herodes. Syrus. Diſcipuli. Chorus Plebeiorum.

Senarius. PAx Tetrarcha tibi. HE. Tibi ſimul, uir bone.
Tuarum fama rerum incredibili' occupat
Noſtras ô frequenter aure', ex quo fit ut ardeam
Dicentem audire te ad ea quæ rogauero.
Quid eſt, quo de pergis monere hominum greges?
IOH. Propinquam ut ad ſalutem ſe parent. Quia
Tanquàm frugi colonus herba' inutiles
Tribulos, lolium, lappas, auenas, carduos,
Runcare ac demetere priùs ferè ſolet,
Quàm ſpem anni totiu', & ſelecta ſemina
Inepto conetur ſolo committere:
Sic animo' infectos oportet ſorde criminum
Purgare me priu' atq; tetra flagitia
(Quoad mortalibus liceat) euellere,

Quàm

Quàm diuina inseri queat persuasio, aut
Salutis mens firma spe sustentarier.
Scelerumq; urticas auferens si effecero,
Vt pullulans uiciorum sylua ne imperet,
Meis hinc uiribus ascribi nihil potest.
Deo uni dona debemus omnes omnia.
HER. *Sed ad salutem quo modo parabimur?*
IOH. *Suum mens ægra debet morbum agnoscere,*
Talemq; flere ac lamentarier statum,
Vitamq; scelerum consciam deponere: &
Cum honore maximo excipere medicum Deum,
Salutaribus eam qui moribus imbuet.
Mens iam secura fit beatæ uitæ, ubi
Pax est, bonorumq; omnium affluentia.
HER. *Haud facilè sentietur morbus eiusmodi.*
Quid autem, si quis hunc minùs medicum petat?
IOH. *Eum scito ipsum olim adfuturum iudicem,*
Fandi memor, & nefandi contemptum sui
Qui Erebi multabit æternis cruciatibus.
HER. *Perorasti sermonis haud sine pondere.*
Gratus ades cum asseclis unà tuis. Dato
Dextram, & succede nostris hospes penatibus.

ACTVS II. SCENA IX.

Gelasimus. Syra. Chorus
Herodianorum.

Senarius. IN principio creat cœlum & terram Deus.
SY. Ha, ha, he: quorsũ, obsecro, ibit hæc oratio?
GE. Auete honorandi uiri. Date ueniam
Anteaquam de re, pauca de me dicere.
Morionem me uocat uulgus. Quid si uocet?
Nolite quoslibet metiri nomine.
Pro me responsum habet materna fabula:
In illo tempore admirata ficus erat,
Cur quæ sapiens arbor putaretur morus
A stulticia tamen caperet nomen suum.
Dimeter. Morus mox ista rettulit:
Nomen neq; confert, neq; adimit sapientiam.
Quid me uetat igitur prudentem existere?
Sed nos pergamus, auditores, ad cætera.
Terra autem inanis, & uacua penitus extitit.
SY. Ha, ha, he: CHO. HERO. Ha, ha, he.
Habitat in uobis ipse Diabolus, uiri
Fratres, ita exundatis sceleribus omnibus.
Nugis abundant mimi, scorta blanditijs,
Alea rixis, aula fabellis, fora litibus,
Crebris susurris læna, fastu fœminæ.
Profectò hic mundus est res immundissima.
Atq; ne tenebræ super abyssi conuexa erant.
CHO. Ha, ha, he. SY. Ha, ha, he.
GE. Ne longior sim, una concludam fabula,
Seu potiùs acuta quadam quæstiuncula.

Quid cuiq; uostrum scire difficillimum est?
Tu quid putas? quid tute? quid tu deniq;?
Certè ego puto, ut suum quis agnoscat patrem.
Quid est Patriarches? Patriarches. Et quid est
Morio? morio. Quid fœmina? quid? nisi fatua.
Et spiritus domini motus per aquas fuit.
SY. Ha, ha, he. CHO. Ha, ha, he.

ACTVS II. SCENA X.

Herodes. Herodias. Iohannes.

DVm uoluo mente suspensus quæ protulit
Iohannes iste, quem Baptistam nominant,
Animumq; dum uerso (coniunx) per omnia, in
Summum profectò me stuporem conijcit,
Quinam tantus loquendi honos, quæ pectoris
Vis illa præsens, quod numen lateat in eo.
Fortaßis (ô coniunx mihi optatißima)
Deus uel quispiam, uel ex Deo satus est.
Quàm fronte se gerit bona imperterritum?
Vox quàm sonat suauis corda ore commouens
Quibus animis præcellit, atq; audacia?
Intrepido enim uoltu quæ, & quanta protulit?
E multis sunt tamen quædam haud adhuc satis
A me intellecta. Quapropter rogabitur
Eandem denuò telam retexere.

Scazon. *Syre, fac ut prodeat Zachariæ proles.*
HER. *Quis credat hūc, mi uir, uastum atq; rusticū*
Pectore, tam miras habere res reconditas,
Nisi qui audiat loquentem? HE. *Vera prædicas.*
Mihi hospes dic, tu cur aqua tingas, alius
Verò igne ueniat lustraturus: & tamen,
Te autore, labem omnem eximat numen Dei.
IOH. *Per summam rerum haruncce similitudinem,*
Quæ sub oculos cadunt, quod mente solummodò
Et una cogitatione cernitur,
Id in conspectu animi uolebam ponere.
Vndam uides labeculas abstergere, &
Anhelam prætereà sitim restinguere.
Eadem uis cernitur superno in flamine.
Namq; abluit fœdatam conscientiam
Nefario scelere, cor instillans nouum.
Orbis iste cùm primum tener concreuit, ac
Statuta discors est rerum concordia:
Tellus haud antè gramina, herbas, arbores,
Seminaq; produxit quouis in genere, quàm
Cœlestis aura sacrosanctusq; Spiritus
Semel se motasset ponti per æquora.
Ita prorsus in hac forma suorum fit noua.
Quos inter nullus egregios fructus feret,
Nisi terra cordis (sic uti loquar) sui
Diuino, tanquam aqua, irrigetur Spiritu.

A me

A me igitur undis erant abluti corpora
Pertæsi crimina, & ueniam orantes Deum,
Vt indicium certum atq; testificatio
Foret piati animi terrenis sordibus.
Item ignis ille, quo deleturum aio
Peccata Principem uenturum, idem ualet.
Quippè obiectum simul materiem ut occupat,
Lumen mittit lateq; dispargit suum:
Sic quoq; Dei summi potentia unica,
Et uiua, & efficax uirtus atq; motio
In pectora irrepens suorum hic Spiritus
Quæ abhorrent à sui natura exurit, &
Perfundit luce mentes, qua suos benè
Cœlestis hæredes regni regant gradus.
HE. Profectò splendidè dixisti & optimè.
Tu ad ista quid sentis thalami consors mei?
HER. Per mihi uidentur mira, quæ attulit, omnia.
IOH. Iam animum grauis subit res, dudũ quæ mihi
Proposita. Quod bona Rex fiat cum uenia,
Multa monendus mihi es: sed unum præ omnibus
Habeo, quod te scire tua plurimum interest.
HER. Iohannes, ipse te lubens audiuero,
Mihi quæcunq; de me predicaueris.
Agè, intùs liberum sermonem habebimus.

CHORVS.

Popellum uates inclytus
Dum lucis attentum nouæ
Amore incendit sedulò.
Vitamq; surgentem canit
Beatam: stulti intelligunt,
Sed eruditi eam negant
Vocem se posse perpeti.
Habet narranti plebis fidem
Rudis, reiecta, ignobilis
Adesse regni existimans
Diuini fausta tempora.
At almi Legum interpretes
Et artium ampla gloria
Et florentes honoribus,
Quæ Iohannes palàm edidit
Salutis de scientia
Nulli putabant usui.
Quis tam impudenter nos iubet
Nouam ingredi uiam? inquiunt:
Quid? nonne uatum oracula
Callemus? & Legis sacras
Tenemus consuetudines?
Vana est doctrina scilicet
Nostra, & patrum persuasio?
Videte. Nolunt discere
Opinione qui sua

Periti sunt, nec fidere
Deo, qui præsidum sibi.
Oblatrant pertinaciter,
Ita ut cùm præcones probi
A uero abduci non queunt:
Ab ijs expugnatoribus
Tradantur horridæ neci.

ACTVS III. SCENA I.

Typhlus. Philautus.

PHilaute precibus perductis iam ad exitum, Senarius.
In regia feramus pedes palatia.
Vt quemadmodum ab Essenis in urbe uellitur
Autoritas huiusce, ità hîc uerti queat.
Si enim perrexerit nihil abfore suspicor,
Quin omnem Iudæam statim peruertat: &
Nos cum professione nostra exterminet.
PHI. Facilè hominem uel argumentis uicero.
Fac te Baptistam ea siue in re disputem
Quid demũ ait? TY. Quid? Dirigite Domino uias.
PHi. Domino uias dirigite? Nondum ergò uiam
Tenemus. Ergò erramus, ille unus sapit.
Deo uias parate? Nondum ergò Deus
Cognoscitur. Dæmon colitur ergò malus.
TY Nec ista occultè ait, sed publicè intonat.

PHI. Quis hunc intollerabilem hæreticum neget?
TY. Doctè concludis: Hùc precante intrabimus.

ACTVS III SCENA II.

Herodias. Syra.

Animi infelix in somnos nulla soluier,
Oculisne, aut pectore accipere noctē queo
Ingeminans curæ, rursus & rediuiuus amor
Sæuit furore non ferendo exæstuans.
SY. Irarum campo idoneum adde terminum,
Quem præter nemo potest impunè currere.
HE. Quid agam? Iterum priorem irrisa coniugem
Experiar, & Philippi connubia repetam?
Quem ego sum tanto dedignata opere uirum?
Excludar hisce tam beatis nuptijs?
Deus perdat nefarium istum, talia
Qui suadet: At uerò haud diu data hæc dabit.
Nec inulta me, nec longùm enim lætabitur,
Solitam modò præstet coniunx mihi gratiam.

ACTVS III. SCENA III.

Syrus solus.

Per caput hoc iuro, iamdudum tragœdiæ
Acerbæ apud nos excitantur & graues.
Quòm

Quôm enim coniunx herodiana senserat
Iugale Iohannem tædas incessere
Tanquàm nefarias, odijs acerrimis
In hunc exarsit, omnes neruos ingenij
Eò intendens, se isthoc ut exoluat metu.
Magnoperè, opinor, Herodem mouebit in
Baptistam, ad eius colloquia cùm uentum erit.
Nam uersat in animo dolo ac dirum nefas.
Malè habet hoc, mentem quòd subinde Rex
Ei aduertit, rebusq; in agendis consulit.
Atq; ecce, ut incedunt loquentes inuicem.

ACTVS III. SCENA IIII.

Herodes. Iohannes.

SI has nuptias uel damnas, uel redarguis,
Nobis unicam uitæ uoluptatem inuides.
Cætera quæ reprehendis, sanè perpetiar:
In hoc ut à nobis nihil dissentias.
Qua liberalitate tum domum tibi,
Tum animum patefecimus ipsum, te minimè fugit.
IOH. *Non sum, Antippa, non sunt sacra fœdera*
Soluenda, nec thalami iugalis uincula,
Nisi si in decreta uis Dei committere.
Tu pacta fraterni lecti, & uiolans fidem,
Potitus coniuge . . . Mone.

Viuen-

Viuente adhuc à fratre rapta, quæ ex eo
Natam suscepit, atq; illam superstitem:
Facis contra fa' & iura, quæ Mosi Pater
Summus dedit, nobis Moses contradidit,
Ego tibi fero supreme præco iudicis.
Quóusq; temnes magnum ultorem criminum?
Quóusq; iram lacesses tanti uindicis?
Resipisce, quæso, turpem amorem respue.
Per tibi opus est iam facti pœnitudine.
HER. sanè pudet (fateor) pigetq;, is pœnitet:
Et agnosco me iam intulisse iniurias
Thalamo germani. At hoc coniūx mea quî feres?
Quam ego, quæ item me plus ocellis diligit.
Variæ uocant curæ scissa hùc, illùc meæ
Ancipiti cogitatione pectora.

ACTVS III. SCENA V.

Syra. Syrus. Gelasimus.

marius.

ADesdum, amâbo te Syre. Canentem audias
Morionem nostrū, ut rusticam uocē uariat?
Vt occinit? insuetos ut effundit sonos?
Si interfuisses concioni huius, Syre,
Risum edidisses, sat scio, supra modum.
SY. Iocabor paulùm. Heus tu, explica digitos tuos
Primus,

Primus,secundus,tertius, Dimeter.
Quartus,quintus. Quot hic numero sunt?
GE.quindecim.
SY.ha,he Gelasime.SY.ha,he.tetigisti rem acu.
GELA.Rides? Dabis igitur osculum.SY. Ah ne-
quissime.
SY. Tacete nam huc Tyrannus intendit gradum.

ACTVS III. SCENA VI.

Herodes.Herodias.

Est,ô sodalis candidissima,quemadmodum Senarius.
Rebare. Connubium hoc nostrum nefas putat
Nouus hospes. It contrà inuictis rationibus.
HER.Est hostis,haud hospes,uir acceptissime.
HER.Imo illud unum protestatur,aiens
Se mihi,tibiq; uelle consultum optimè.
HE.Quid uris ægram,coniunx ô pulcherrime?
Quid dicta me terres timentem tristia?
Si mihi quæ quondã erat, quã & esse nunc decet,
In amore uis foret:non hunc diutius
Ferres,canere uel cogeres Palinodiam.
HER.Ab eo permulta dicta sunt diuinitùs.
Quæ cogitata (nescio quo pacto)mea
Tulere ad aspectus rerum coelestium:
Postquàm autem uerba fecit his de nuptijs,

Reuerentia noua, & sancto ueluti metu
Vehemens quieta uox perculsit pectora.
Sed eccum nostris prodeuntem ex ædibus.
Huccine puta', uxor, à gradu constantiæ
Posse unquam deijci? Modestiam audaciam
Videor agnoscere. audacem & modestiam.
O quanto in illo maius est, quàm se refert?
Adibo. Sciscitabor, Vt hominem audias.
HER. *Nisi cum uiro nunc res agatur acerrimè,*
Citò causam cadam, euadámq; miserrima.
Nebulo iste nobilis tantum (heu scelus) ualet.
Quem ego: Sed interim ipsa mihimet non deero.

ACTVS III. SCENA VII.

Iohannes. Herodes. Chorus Plebeiorum. Herodias. Chorus Herodianorum.

AVe Rex. HE. *Et tu Iohãnes. Sed quidnam (ais?*
Nũ pertinax te adhuc uertet sẽtẽtia?
An potiùs coniugem mihi abreptam cupis?
IO. *Sancit lex, quod priùs monebam, Mosica:*
Non posse fratris uxorem unum ducere
Alterius, & uiui, & gaudente prole. Tu
Superstite fratre, filia superstite,
Ipsius irato sponsam retines Deo

HER.

HE. Quàm animũ perturbat hæc meũ responsio?
Nec habeo quo defendam, & hanc amo unicè:
CH. Pleb. Cũmotus est. Amâbo res quorsum acci-
Aduortamus. Nam & iras illa concipit. (dat,
HER. Vincor ueris Herodias. Quis hæc neget?
HERO. Ergóne dißipato, mi uir, fœdere
Subeunda erunt nunc fata tam crudelia?
Ergóne te propter spretæ pudiciciæ
Non ulla habebitur cura aut ratio? Hæccine
Sacra illa est confirmata coniugio fides?
Data hæc est dextera? Hæ nostræ spes? hæccine
Promissa quæ nobis tam pulchra feceras?
Certè ego famæ, pudori, patriæ, uiro,
Ac omnibus te rebus unum prætuli,
Et hanc amori tanto mercedem dabis,
Vt uerear ne cuiusquam iniqua oratio
Tam citò tædas queat pactas disiungere?
O utinam aut occupares hæc præcordia
Leuior ignu', aut amori par esses meo.
Quin par eris, ni fallar, An tua non sum ego
Herodias? Non es tu item Herodes meus?
An non iocos, risus, amœna gaudia
Tecum solebam tractare arbitrio tuo?
Furtiuus haud amor noster, sed coniugium
Verum est, Iohannes quodcunq; garriat.
Palàm dextras coniunximu', idq; nemine

Redar-

Redarguente præter istum Barbarum.
Agè ô marite mi, ô marite perfice,
Iunctos ut affectus tam amico uinculo
Ne inepti, obscuri, agrestis atq; ignobilis
Homuncionis uerba uana distrahant.
IOH. In me loqui fero: Tu rem perpende Rex.
Dei præ amore sperne amorem fœminæ.
Dubitabis huic mundo cœlum anteponere?
Mirum in modum te quæso Rex, quid agas uide.
HER. Sceleste orationem interpellas meam?
Quid? hunc si audi' omnium quos terra sustinet
Nequißimum, quid nobis fiet obsecro?
O dijs quem in censum dereliqui magni' ego
Philippum ad coniugem captiua deferar,
Ibi seruitutem seruitura miserrimam.
Fugientem tu sequêre sponte Aretiadem.
Quæ te (si dijs placet) tam pulchrè charam habet
Acies paternas ut contra conducere
Parata sit, sitiens tuorum sanguinem.
Potes hunc adhuc uultũ remisso cernere?
Potes præbere aures illi? potes pati, ut
Et uiuat saluus, & domo liber tua
Fruatur, & non punita licentia
Vagetur, qui no' in hasce conijci uelit
Calamitates? Immò multetur potiùs
Vel morte digna. Nobi' enim de industria huc
Dele-

Delegatu' est ab inuidis, & hostibus.
Obtestor (ô mi uir) te ego ut, si unquàm tibi
Voluptati uel oblectamento fui,
Si forma, si ingenium, si colloquia tibi,
Si amore' incenderunt: neci hunc meritißimæ
Iam trade, ne nimius me mœror conficiat,
Et hîc exanguis te cogente concidam
Questus sed nunc meos si nullus audies,
Nefanda si huius admittes hortamina,
Ac me tuam sines interfici ab hostibus:
Potiùs tu uitam hanc quam' absume morte, tu
Hisce manibus (qua' ego lubens exosculor)
His manibus, inquam, me iam occidito: Sic ego
Animam patiar mihi auferri cum sanguine.
O mi uir, mi uir optime, Dimeter
Profari plura non queo
Præ lachrymis fluentibus.
O mi uir, mi uir optime.
HER. Parce metu, omitte flere. Nolo (per genium
Nostrum, mihi uxor, crede crede) nolo ego
Reuelli à te, donec durabit spiritus.
Tibi quò cessit nostri, obsecro, fiducia?
Immemores haud ita, nec ingrati sumus,
Amoris ut tui no' obliuio, cœperit.
IO. Caue Rex dicta ne labantur pectore:
Quæ si spernis, grauiora opinione tua

Mala sequentur. Mentem regas tuam, qui alias
Regis, nec feminæ regendum mancipes.
HER. Toleras an hæc quæ audis, nec ulcisci potes?
Vilißimus maiorem uerna sentiat.
HE. Ite simul, ite serui, quid statis? recens
Dum pectus hoc nostrum indignatio ferit,
Hunc factiosum in carcerem detrudite
Rabulam, qui nos, nostramq; turbat animulam.
Haud temere suspicati sunt sacri, Patres
Noua te sparsurum in uolgu' & praua dogmata,
Qui nos contra tam liberè audeas loqui:
Properate: ne qua meis esto dictis mora.
IOH. Deum quæcunq; propter ibo ad uincula,
Mentem propugnans cœlestem facilè fero.
Meliora, si tibi caues, sequere monitus.
HER. Sine hic auras anhelitu diuerberet
Inani. Nos curemus intus corpora.
HE. Fiat mea lux. CH. PLE. legamu' ad carcerem
Si discipulis rem dixerimus totam priùs. (gradus

ACTVS III. SCENA VIII.
Syrus solus.

enarij HA, ha, he. Vafris ut dißimulatur à mortali-
Animo hæc æquo se ferre Iohãnes ait. (bus?
Credo quidem, quia non secùs fieri potest.

Ego

Ego sic sæpè prauam audiui coniugem,
Quæ coniugi quoties pœnas dedit suo,
Hæc diceret secum graui suspirio:
Animo æquo (uti decet) feremus omnia,
Præsertim plus (tacitè hoc) cùm uiribus ualet.

ACTVS III. SCENA IX.
Discipuli. Chorus Plebeiorum. Iohannes.

ET oīa hæc ultrò boni accipit? CH. P. Accipit Senarij
DIS. Cœlestis hic uir est, non morti proxuma
Qui ueritatis ergò supplicia fugit.
An extat inter mortales nostro duce
Præstantior? Sunt ista supra hominem, quæ agit.
Vt ut de Iesu multi magna proferant,
Sine dubio non est cum hoc æquandus tamen.
CHO. PLEB. De Iesu? Quid? Num is inceptat aliquid noui?
DIS. Ab eo tinctos aquis est fama plurimos.
CHO. PLE. Hic ipsus est, quē Iohannes nobis quasi
Potiorem se frequenter extulit uirum
DIS. Hominis in hoc modestiam est agnoscere.
CH. PL. Ita. Nam & hic noster clarī ē parentibus,
At ille à fabro obscuram originem tulit.
Macherontam (si placet) uëtamu', ut certior

De rebus his fieri Baptista poßiet.
IO. Custos Iesu fidissime
Dimeter. Fidentium, quo preside
Nil est usquàm periculi:
Obfirma sic pectus meum,
Nullis ut hinc terroribus
A lege desciscam tua.
DIS. Licet precantis uocem haurire: Attendite.
IO. Tu noster in cœlis pater
Cöoptasti me in filium.
Tua est Christus potentia,
Cuius cohæres ipse sum.
Sic persuasor me spiritus
Informat imo pectore
DIS. Pax à Deo tibi sit. IO. Sit uobis item.
DIS. A te iam olim magister edocti sumus
Eam uirtutis esse conditionem, ut hoc
In seculo deuoto uanitatibus
Nil sit homines uanos quod offendat magis.
Quamobrem minùs grauatè; quod facis ipse, nunc
Ista ferimus non expectata uincula:
Hoc unum nos tamen magnoperè mouet,
Ingentem multitudinem ità adhærescere
Nazaræo illi, quem quidem quondam ipsimet
Lauisti undis, lotoq; testimonium
Præbebas. Namq; ubi antè tu uersatus es,
Multos

Multos instruit, multos tingitq; aquis uiros.
Palæstinas per urbes nemo clarior.
IO. *Magnificis nec pompis oportet, ô uiri,*
Nec in, nec ostentatione splendida:
Sed spiritali cum uirtute & gratia
Regnum suum auspicetur iste satrapes.
Attamen ut commonstretur euidentiùs,
Et ante oculos, interq; ponatur manus:
Adite duo, meo rogate nomine:
Seruator sit'ne, uates quem canunt sacri,
Futurus, expectari an alius debeat.
DIS. *Adimus & mandata deferimus tua.*

ACTVS III. SCENA X.

Herodias. Herodes.

Herodias infelix, quæ nunc fata impia Senarij
Te tangunt? Nullus huic dolori finis erit?
Sed spem inter, & metum dubia uitam trahes?
Nunquàm miserrimum beata, ignobilem
Præclara, uinctum libera, uilem homunculum
Habita summo in precio, regina rusticum
Superare poßis, & digna morte perdere?
At aspra uolgi odia nitentem retrahunt.
Si iuuat: uiuet causa funeris mei.
Si exitio tradam: à plebe dicar improba.

Iræ laxas dediſſe habenas horridæ.
Nunc huc dubia, nunc illuc meme fluctuo.
Animus curas in omnes hic diducitur.
HE. *Quid ſola ſic mœres, uoluptas unica?*
HER. *Aderas' ne tu, mi uir? meum ſolatium?*
HE. *Nil hæſites huius de amore pectoris.*
Scis ut ſponte prætulerim te cunctis unam ego,
Thori & mei libens in parte locauerim.
Mutata nec loco cedit ſententia.
HER. *Nil ô nil ſuſpicabar de te huiuſmodi.*
HE. *Ad oſculationes frontem exporrige.*
Collo implica brachium. Pergamus intrò, ubi
Naturæ noſtræ iura iam nouabimus.

C H O R V S.

Anapeſtici.

Ecce, ecce malum, quo miſerè gens
Quæq; laborat. Ecce, ecce malum,
Quod quà terræ, quà mare ſerpit,
Vt furor iſte agit incautos?
Vt blanda ſitis bibit ipſam animam!
Sampſona tener amor infractum
Fregit, & idem fortia rumpens
Molli iacuit lite ſubactus.
Quin hoc ſale ſal hominum Solomon
Immoderatè reſparſus erat.
Quidnam hoc ſibi uult? Meliora quidem

Sæpè

Sæpè uidemus, atq; probamus.
Ruimus tamen in deteriora.
Sacri eloquij maxima uirtus
Trahit innumeros, id ut arripiant:
Sed uix pauci rectè orsa tenent.
Quàm bene Saulus cœperat? Atqui
Rursus redijt suum ad ingenium.
Etiam Herodes quanto studio
Animum appulerat Archiprophetæ?
Sed & ille citò (mobilitatem
Spectate hominum) animi cæcus
Cœpta reliquit. Cauti este uiri:
Inuidus Orcus ex principio
Sæpè decoro finem efficit
Perniciosum. Semina ut ille
Noxia sparsit, humiles curæ
Ad se reuocant, atq; pericli
Ingruit horror. Cauti este uiri,
Ne præsentes uana cupido
Vitæ in peiùs uosmet referat.
Pleraq; turba oblita semel
Dei in antiquum sublapsa ruit.
Cauti este uiri: Aequora scindens,
Et respiciens simul à tergo
Rectos nequeat ducere sulcos.

ACTVS IIII. SCENA I.

Dimetri. Phalecij. Syrus. Chorus Herodianorum.

Aue lux festiuißima,
Diesq; expectatißima.
Tandem uenisti gaudijs
Tempus dicatum mollibus.
Quicquid libebit hoc die,
Idem licebit hoc die.
Hoc die citharis, lyris, tubisq;,
Cantu mellifluo, nouoq; plausu
Omnis undiq; perstrepet popellus.
Huc huc ô socij uenite læti,
Vernis tempora floribus ligati.
Nunc ô nunc sacra festa præparemus
Herodi Domino, facetijsq;,
Canticisq;, epulisq;, saltibusq;.
Nunc donis cumuletur arca sancta.
Rem diuinam agit ipse Rex, uidete.
CHO. Manibus idem pedibusq; conamur Syre,
Id enim sacris ab officijs reuertimur,
Feramus hosce odores ut lectißimos,
Galbanum, onycha, stacten, thusq; lucidum,
Quò ædis uaporentur sacræ penetralia:
Et cætera, quæ ulli erunt ministris usui.

SY.

SY. Vos ite. Reginam sequentem ego sequar.

ACTVS IIII. SCENA II.

Herodias. Tryphera. Syra.
Gelasimus. Syrus.

HOdie solennem honorem Rex Deo feret,
Largoq; luxu conuiuas excepturus est.
Margaritas idcirco sumes: coloribus
Corpusculum fucabis: torques, & aureos
Geres annulos, & armillas: nunc deniq;
Addes artem super natiuam gratiam.
Profer (puella) chirothecas, annulos,
Gemmas, crepidulas, & mundum omnem relliquū.
SY. Vel cuncta ex isthac suppetentur cistula
HE. Læuum cinget lacertum armilla fulgida.
Ardebit gemma pendula in medio sinu. Hîc
Radios fundentem amplos Carbunculum cape.
Hîc fulgeat uestis unione candido.
Geremi habe tutamen fidum Iaspidem,
In isthoc orbe complicatum argenteo.
Hîc Eliotropia est errare nescia.
Clarus hîc Berillus est forma sexangula.
Hîc uim uerbis addens Smaragdus clauditur.
Tibi ecce Magnetem, qui perficiet labris
In istis ut sedeat Suadela, & Gratia.

D 5 E col

E collo baccatum Monile pendeat.
Sine laxa uestis ad imos defluat pedes,
Figuris ut distincta præniteat magis.
TRY. Ha, ha, he, he, uides'ne noster ut morio
Ornamento sedet capitis indutus mei?
HER. Exue hominis monstrum. Reddas, reddas mihi,
Inquam, citò. Non me nosti? Colaphum cape.
GE. Noui meliùs, quàm exopto. Philippi uxor es.
HERO. Hem porrige alteram malam. En, accipe, & caue
Ne omninò tale quicquam insanus effutias.
GEL. Hei, ueritas odium, atq; uerbera item parit.
Dum uiuo, nunquàm ego posthàc uerum loquar.
HER. Iam eloquere cuia sim. GEL. Herodis. HER. Sed utrius
Herodis? GEL. Adesdum, in aurem edisseram tibi:
Antippæ nunc es, quæ priùs Philippi eras.
HE. Hoc dicere est in aurẽ? Abi hinc malã in crucẽ.
Malosq; cruciatus, Abi trifurcifer.
Sic ô sic nata. Cuncta te apprimè decent.
Accerse fidicinem Syre: experiar equidem
Quo & orbe, quo & gestu ipsa te componere,
Motuq; quo possis uestigia ducere. Haud
Didicisti frustra, opinor, saltus effingere.
Age dum, percussa plectra dent sonos, uago ut

Grad[u]

Gradu uerſemus orbem ſaltatorium.
Varios mecum, certosq; abſoluito numeros
Filiola, & hinc atq; hinc procurrito gyros.
Leuibus ſic ſæpè pulſato pedibus ſolum,
Celeres ſæpè hoc ſuſpende plantas ordine
Semper agilis recto te corpore moueas.
Da nunc, amâbo, induſtriæ ſpecimen tuæ.
Iam circuitus age ſpatioſos, collige
Iam anguſtū te in locum, iam eodem pergito
Inceſſu, iam uarijs ambito flexibus.
Pulchrè,ità uiuit Deus, in numerum pedes agis.
Liba mihi oſculum. En fragrantes accipe
Odores. Sic ſic ad regem epulantem uenies
Vocata. Nunc ad templa tempus nos uocat

ACTVS IIII. SCENA III.

Diſcipuli. Iohannes. Chorus Plebeiorum.

BAptiſta ſaluos ſis. IO. O aduenistis benè — Senarij.
DIS. Magiſter, imperata tua peregimus.
Homo ille, nos ad quem legaſti nuncios.
Spectantibus nobis (dictu mirabile)
Sola leuabat uoce infirma corpora,
Animis & impuros fugabat ſpiritus.
Tandem ora ſoluens: De me nil ut dicam opus eſt.
Tantum

Tantum ite(ait)hæc uati responsa reddite,
Quæ uestris hausta sunt oculis & auribus:
Fuerant qui cœci,habent per me iam luminis
Vsum. Genua trahebant qui ægra,poplite
Robusto incedunt. Lepra tabuerant quibus
Vrenté membra,amara exoluuntur lue.
Obstructæ nuper aures iam capiunt sonos,
Immanibus furijs curantur perciti,
Mentemq; recipiunt ualentem & integram.
Reuiuiscunt,uigemq; cassi lumine:
Breuiter, Amoïdes ut quondam prædixerat,
Nunc spiritu demissi facti humillimo,
Salutis sempiternæ optabile nuncium
Magni æstimant,quod contumaces respuunt.
Fœlix(ait)nostri quem nil offenderit,
Sed adnoscens & amplexans persuaserit
Sibi,ueram in me uno uitam consistere.
Hæc dicta ubi dederat,nos dimisit duos.
IO. Videtis ipsi nunc(comites charissimi)
Huiusce Iesu,quem uobis Deum esse tam
Crebrò affirmaui,talia opera,qualia
Nec ego,nec antiqui uates,nec quispiam
Alius omninò perpetrauit hactenus.
Nec obscurum est sacris rerum miracula
Hæc respondêre uaticinationibus.
Et è factis qui sit,cum intelligi licet,

Etiam

Etiam ad loquelas mentem nunc attendite.
Felix(ait) est, nostri quem nil offenderit.
In eo nimirum omnis constat felicitas.
Ille, ille est, quo beati si uoltis fieri,
Carêre haud poßitis: me autem nihil est opus.
Debetis hinc ad illum iam decedere,
Animus modò sit ipsam salutem consequi:
Nos quid moramini? Nostrum præsagium
Concluditur iam: Euangelion at illius
Fusum per orbem in honore semper habebitur.
Regem inter & preconem, lucernam inter &
Solem, famulum & herum discrimen cernite.
Deinceps Christo queatis ut domino frui,
Pijs ipsum uotis uocare assuescite.
Ego interim precibus idem contendam meis.
DIS. Habemus gratias: Quod uis, uolente eo
Omnia solus qui perficit, præstabitur.

ACTVS IIII. SCENA IIII.

Herodes. Herodias. Syrut. Syra.
Chorus Herodianorum.

Viri domestici, atq; amici singuli Senarius.
Celebrate nobiscum festa isthæc annua.
HER. O quotquot Regi uoltis & mihi bene,
Votis sacrate almum hunc diem felicibus.

SY.

SY. Inoffenſo nitens ſol currat lumine.
SYR. Cœlo ſereno lux hæc fauſta fulſerit.
CH. HER. Redeat proſper dies natalis, principi
Sua referamus ut quotannis munera.

ACTVS IIII. SCENA V.

Herodias. Syra. Gelaſimus.
Iohannes.

Senarius. TV hic operire. Ad carcerem me confero,
Vt ſola ſolum paucis aggrediar uirum
SY. Curabitur. Sed quidnā hominis? Bone uir, ubi
Fuiſti dudū. GEL. Apud inferos. SY. Apud inferos?
Quid, obſecro te, illic uidiſti? GEL. Dæmona
Prādentē. SY. Quid, quæſo te, habuit in prandiū?
GEL. Phariſæos & fœminas. SY. Dij te peſſumè
Dimeter. Diſperdant furcifer procax.
HER. Iohannes, IOH. Adſum hera. HER. Per feneſtram colloqui
Aliquantiſper liceat: Si me, ſi teipſum amas,
Ea mentem ne tuam capiat dementia,
In iſthac ut uelis hæreſi perſiſtere.
Faxo, ſis uniuerſa in aula principis
Honoratus, muta modò ſententiam.
IOH. Non eſt mihi loquendum ad uoluntatem tuā,
Dei uoluntas cui repugnat maximè.

HER.

HER. *In squallido iacebis ergò carcere.*
IOH. *Quantalibet perferam Deum propter mala.*
HE. *Siccine ais? an non? hoc mihi crede, acerrimas*
Improbe dabis pœnas, ni retractaueris.
Me si lædes, in cotem cadet nouacula.
Stolidus accepto non nisi cum malo sapit.
GEL. *Caue Iohannes, Petis cornutam bestiam.*
Si me audies, scenæ seruire discito.
Viuere nequit, uersutus esse qui nequit.

ACTVS IIII. SCENA VI.
Herodes. Herodias.

EVelli ergo insita haud potest persuasio? *Senarij.*
HER. *Animo quidē perstat confidemissimo.*
Precio nec ullo, nec precibus impellitur
Nobiscum ut seruiat. HER. *Quid ergò?* HERO. *Qui bonis*
Flecti uerbis negat, frangatur uiribus.
HER. *Modus est in promptu, caussæ prætextum haud item.*
HER. *Deliquit, in nos egit. Ratio probabilis.*
HER. *Et scelerū purus, & æqui obseruantissimus*
Plerisq; censetur. HER. *Sui simillibus.*
HER. *Populus, quem tinxit, hunc mirum in modum colit.*

HER.

HER. Rudem adamant rustici. Tu doctos interroga.
HE. Pro Meßia multi, pro uate quisq; habet.
HER. In hoc alijs credes, quod de se ipsus negat.
HE. Cuiusdam singularis sit modestiæ.
HER. Illene modestus, qui nil parcit regibus?
HE. Memorandus ortus, uitaq; inculpabilis
Faciunt audaciorem. HER. Fabula, fabula
Absume leto, & expleas animum meum.
Iners tacebit uolgus & uariabile,
Rem posteaquam approbarint prudentes patres.
HER. At hij pauci plebis præ multitudine.
HE. Nonne meliores, quàm plures satiùs est sequi?
HER. Quid immoror multis? Obstat uirtus uiri,
Obstat uolgi tumultus & inuidentia:
Hominem cur non iubeam iamnunc interfici:
Tamen in uinculis tua manebit gratia.

ACTVS IIII. SCENA VII.

Herodias. Syra.

Senarij. QVid nunc agam? Popellum propter scilicet
Renuit uernã è medio maritus tollere.
SY. Equidem modis omnibus rogandum existimo,
Ab opinione ut ultrò desciscat sua.
HER. Orabam. At ille nulla cuiusquàm prece
Mouetur, nec uoces audit intractabilis.

Deus

Deus (inquit) aures obstruit placidas mihi,
Vt unquàm ne uotis auscultent talibus.
Deo nimirum est hic labor, cura hæc Deum
Quietum tangit, ipsa quo demum uiro
Fruar? Quid sperem? Immota mens illi manet
Silice durior. Inanes funduntur preces.
Flectere sed quôm nequirem orando, mox minis,
Pòst supplicijs in eum agebam. Volui adeò
Nihil inexpertum & intentatum linquere.
Illa una iam sanè mihi restat uia. Huc
Incumbet omnis cura & cogitatio.
Ità qui quæ uolt, agit: quæ non uult, perferet.

ACTVS IIII. SCENA VIII.

Herodes solus.

ANime quid uersas? Cur non cæde pessimi Senarius
Latronis amplam libertatem uindicas?
Lucrum putabit. Dignum ob hoc uita reor,
Quòd imminentem non exhorrescat necem.
Medullas an tuas uorabit ignis, &
Tamen exulabit interim securitas?
Aude anime, cœpta tanta si uis exequi,
Forsan iugali crimen abscondes face.
Honesta quædam scelera successus efficit.
Herodes siste, siste furibundum impetum.

Respice uerendos diuini mores uiri,
Quod metuit, auget, qui scelus scelere obruit.

ACTVS IIII. SCENA IX.
Philautus. Typhlus.

[C]rimet. Blando hactenus uultu simulauimus odium,
Primoq; inceptu cum popello diximus,
Cautè quidem, magni nos illum pendere.
Iam multa cùm incusantem ferre non potest
Herodes, occultè instigemus ad necem.
TYPH. Et hoc autoritatem ad nostram pertinet,
Et Reginæ quoq; uehementer gratum erit.
Verùm quodnam nos crimen obiectabimus?
PHI. Inuremus rerum nouandarum notam.
TY. Satis hoc: Excogitari nil grauius potest.

ACTVS IIII. SCENA X.
Herodias sola.

[...]enarij. Me'ne incepto meo uictam desistere?
Peregrinũ nec posse hũc certãdo sternere?
Quò referor? quæ'ue mutat mentem insania?
Stat propositum exequi (fremant omnes licèt)
Et eum quo iure, quãue abolere iniuria.
Non mens, non animus: sola deest occasio,

Furere

Furere furorem, qua in iuratum hostem queam.

ACTVS IIII. SCENA XI.

Iohannes solus.

Mortalium Rex & pater,
Qui nos habes pro filijs,
Potesq; solus omnia:
Ago immortales gratias,
Quòd sic in terris egerim
Concessa uitæ tempora.
Nunc ergò inconcussa fide,
Lætaq; conscientia,
Expecto securus diem
Eam, ad regnum qua transeam
A te promissum (mi pater)
Quo non potest fidelior
Solo uel cœlo existere.
Hoc ille nobis asserit,
Suo & parabit sanguine,
Cuius terrarum per plagas
Præco præcurrens extiti.
Hausit tuum qui spiritum
Materna in aluo spiritus
Membra ista linquens gaudia
Feratur ad cœlestia.

imetri

ACTVS IIII. SCENA XII.

Herodias. Herodes. Chorus Idumæorum. Chorus Herodianorum. Gelasimus. Syrus. Chorus Coëpulonum. Trypbera. Syra. Philautus. Typhlus.

narij. FRequentes conuenêre iam per limina
Idumæi, lucem celebraturi optimam,
Quæ prima te nobis sub auras extulit.
Et iam multi mensis accubuêre splendidis.
Famuli nec intùs desunt, qui dapibus eas
Onerent, & ardentia qui ponant pocula.
Superest, aduentantes excipiamus comiter
Proceres. Nihil morati aderunt certò scio.
Agite, mensa interea sternatur orbibus
Argenteis, globato tritico, & sale.
Non cochlearia, non desint mantilia.
HE. Meritißimò quidem te, Herodias, amo,
Cui nostra tantæ sunt curæ natalicia.
Tota operis hæc tuis superbit regia.
Ità lautè, splendidè, atq; liberaliter
Epulas instruxisti: aula ut omnis iam sonet
Iuuenibusq;, senibusq;, simul plaudentibus.
Hilares audin' sonos? Tectis succedere
Libeat, & applausus dare: Atqui tu Syre
Venientes quòm primates uideris, euoca.

Eugè,

Eugè, eugè, euax, euax. CHO. IDV. Iò, iò, iò,
Iò, uiuat Herodes: iò, iò, iò,
Iò, uiuat Herodes: iò, iò, iò.
GEL. Iò, iò, iò, iò, iò, iò.
CHO. HER. Ornata mensa hæc est, hera
quemadmodum iubet.
Visamus iam quo struxerint modo penum,
Quibus in manu eius extat procuratio.
GEL. Isti penum quærant, pœna hîc superest mihi.
Et regis & reginæ, & (si superis placet)
Puerorum huic malæ cohæret dextera.
Vtinam essem Sampson, omnes traderem neci.
CH. HE. Suo ponuntur quæq; lances ordine:
Phasiana, cycuns, phoenicopteros, pauo,
Meleagrides, Perdices, atagênes, capo,
Anates, ficedulæ, anseres, passerculi.
Pinguis ferina, agnina, uitulina, bubula,
Aprugna, uerucecina, & ouilla caro ad manum est.
Stant & maris rapinæ: murices, lupi,
Et ampla quem patella Rhombum sustinet.
Liba hîc adorea, hîc pultes sunt candidæ:
Hîc offulæ, minutal, oxygorum: hîc auium
Cerebella, & odora iusculis iecuscula.
Regifico demum luxu abundant omnia.
Reuolat Syrus. Mensa obseruetur. Ecce iam
In lumine est totus coëpulonum chorus.

SYR. Adsunt Idumaei, & Galileides tibi:
Tuam uidere maiestatem gestiunt.
HE. Grati omnes adestis, grati adestis herculè.
GE. Omnes aduenistis, aduenistis herculè.
Me uos incolumen uidere posse gaudeo.
HER. Saluete heroës, heroinaeq; optimae.
Diem hunc dum uestra condecorat praesentia,
Meus profectò uir ueluti renascitur.
Vultis'ne introspicere? Vulgus promiscuum
Quàm hilariter appositis uescantur ferculis?
CHO. COE. Eià, eià; plaudite, plaudite. CH. IDV.
Iò, iò, iò,
Iò, uiuat Herodes: iò, iò, iò,
Iò, uiuat Herodes: iò, iò, iò.
GEL. Bo, bo, bo, bo: bibat Herodes: bo, bo, bo, bo.
HE. Strepitu dum turbae personant intus atria,
Atq; uario miscentur tecta murmure:
Nos in hoc quasi recessu genio indulgebimus.
Laetiq; leta conuiuia curabimus.
HER. Niueo planè lapillo haec signetur dies,
Qua uos omnes unius ergò principis,
Galileae totius coïstis principes.
Iam iam uos lymphas fundite
Vasis, ministri, argenteis.
Adeste nunc clarissimi
Viri, digitis ut seruuli
Aquas odoras praebeant.

Tu

Tu subministra sedulò
Nympha, hinc & hinc mantilia.
Tu uerò, aselle, quid taces?
Nihil dices tantis uiris?
Nobis uel nomen da tuum,
GEL. Quicunq; percupit sibi
Nomen meum dono dari,
Morio Herodis uocabitur,
CHO. COE. Ha, ha, ha, he, he, he.
HER. Dic nomen, mater quod tibi
Adhùc infantulo dedit.
GEL. Solebat mater me quidem
Prolem pulchram, formosulam, &
Scitum puellum dicere:
Amabat me mirum in modum.
Negabat nec mammas mihi
Vnquàm uel octonario.
CHO. COE. Ha, he. Profectò bellulum
Habes, ô Rex, homunculum:
Mouebit qui risus tibi,
Quandò lubebit affatim.
HE. Discumbe uita mea: Nam te propter locum Senarij.
Ipse occupabo. Sis tu proxima, obsecro,
Cultißima heroina: Vosq; proximæ.
Tribune sede: Sedete primores ordine.
Bene est. Iam prima ferunt ministri fercula.

CARMEN HERODIANORVM.

Sapphicum.

Splendida Herodis recolamus omnes
Festa nascentis, celebremus omnes
Hunc diem faustum, ueneremur omnes
Tempora letè.

Ite florentes iuuenes, caputq;
Vestrum Idumæis redimite palmis,
Plaudite huic claro niueoq; festo
Tota corona.

HER. Ad iussa stata, & epulas distribuite nunc
Famuli, passimq; mensis uini ponite
Dimeter. Antiqui plena pocula.
Curate, nil desit. Vos promptas ad pinguia
Iam fercla dexteras omnes extendite.
GEL. Dictum puta, A nobis nihil fiet citiùs.
HER. Agè, dum comeditur atq; bibitur, musice
Suaui nos oblectes cantiuncula, &
Pariter cum uoce spargat læticiam lyra.
Audite, lætas huc mentes aduortite.

CANTILENA MIMICA.

Hexamater.

O Vigor è uino ueniens, ô succe benigne,
Tu timidos audêre iubes, leporiq; leonem
Infe-

Inferis, imbelles in bella & prælia trudis.
Tu solidum neruis robur, mentemq́; ministras.
Tu Ponto lectis medicina potentior herbis
Languores languêre, sensumq́; doloris
Cogis ut ipse dolor ponat. Facundia surgit
Fœcundo fœcunda mero, uerbisq́; redundat.
Ergô uaganter scypho geminet lætissima turba
Gutture distincto, repetatq́;. Propino, Propino.
HE. *Bellißimè. Hem, cape hoc, tuaq́; labra prolue.* Trimetri.
HER. *Ama me, puer, hos minutiores* Phalecij.
Irrora calices bono falerno.
Hæc sunt pocula fœminis bibenda
Istis egregijs, meo & marito.
Quin audi reliqua imperata, fac ut
Mox cellarius eligat ministros,
Bacchi munera læta qui propinent.
SY. *Equidem sine mora præcepta exequar tua.* Senarij.
HER. *Nunc audiamus organicam symphoniam.*
Non cithara, non tuba, non obtumescat lyra.
Agitote dum simul sonos edant omnia.

Symphonia.

SY. *Ventriculas inter frequens uersatur quæstio,*
Pisce optimo qui maximè incolitur lacus:
Quis aër alitibus abundat: terra quæ
Præ cæteris edules effundit feras.
Quæ fercla molli iure natare debeant,

Quæ ſicca gulæ in auernum trudi oporteat.
Nouitate qua nepotes adiecta cibis,
Acutiùs mandent ſepulchra corporis.
Quantum interſit uariam menſam facere dapibus.
Ferunt ſecunda iam conſerui fercula.

CARMEN HERODIANORVM.

Elegiacum.

Si quid habent terræ, ſi uaſta quidæquora lautum,
Ponitur hoſpitibus, Rex uenerande, tuis.
Animus adduxit menſam natalis ad iſtam
Conſpicuosq; Deos, conſpicuasq; Deas.
Intus regali lapidoſa per atria luxu
Turba ſedet repetens omina fauſta tibi.
Omina fauſta tibi magna dum uoce precantur,
Plebis Idumeæ plauſus ad aſtra uolat.
Trime. HER. I, natam accerſe, cum conuiuis ut patrem
Salutet. HE. Rectè ais. Lepida eſt me herculè.
Iam denuò fiant concentus muſici.

Symphonia.

CARMEN PROPINATORVM.

Hexametrum.

I Accipe ſpumantē Bromio, Rex inclyte, trullā.
Elegiacū. Dū cadus egregius depromit nobile nectar,
Quisq; ſua antiquo proluat ora mero.

Hoc

Hoc cape tu ciatho dulcem, Regina, liquorem. 2
Dum cadus egregius, &c.
Ista, Tribune, bonum dabit amphora plena falernū. 3
Dum cadus egregius, &c.
En Baccho, Proceres, plenum cratêra beato. 4
Dum cadus, &c.
Splendide Rex, uino sapit hæc metreta uetusto.
Cœlesti ambrosia patera hæc, Regina, repletur.
Iucundo iste calix humore, Tribune, redundat.
Hic scyphus, Heroës, mulsum prædulce recondit.
Dum cadus egregius, &c.
TRY. Salue mi Rex. Viri saluete amplißimi,
Epulumq; istud uobis benè uortat omnibus.
HE. Per hoc tuum capitulum in tempore aduenis.
Quid enim uobis esse potius in præsentia
Chorearum debeat iucunditatibus?
Qua in arte te puto nunc posse plurimum.
Epulis remotis, Herodias delitiæ meæ,
Placidos cum filiola lusus agas tua,
Tibi has iungens heroïnas comptißimas:
Iam agite, choros iam curua indicat tibia.
Sic sic mensis addentur plena gaudia.
Incipite: Nos adsidentes intuebimur.

Saltatio.

HE. Vt insignis arte nata, Herodias, tua
Ingreditur? Vt alias longè supereminet?

Vt

Vt oris habitum fingit? Vt format sibi
Motum? Vt totius deinde gestum corporis
Cōponit? CH.COE. O mediusfidius, Rex, nil suprà
HE. Non sat uidiße semel, morari sed iuuat
Vsq;, & iterum atq; iterum saltantem cernere.
HER. Vt omnia facis magnificè ac regaliter?
Duc tu mea orbem filiola, quæ sic places
Regi. Hoc ipse, hoc ego, hoc omnes ualdè uolunt.
HER. Nouam nobis harmoniam excitate musici,
Nostra ut nouo lusu teneantur lumina.

SALTVS.

HE. Papè ore ab egregio quantum decus enitet?
Quàm grata uirtus exit uenusto è corpore?
Quos hæc dedit motus? Ità mouit spiritus,
Vti uix apud me sim præ immesa lætitia.
CH.COE. Ingentes, Rex habemus omnes gratias,
Tua dignatos mensa, & hoc spectaculo
Qui expleuisti. HE. Huc ades ô puella splendida.
Posce à me quid uoles, haud frustrà poposceris.
Per supremum Iehoua, perq; regium hoc
Diadema iuro, dabitur quicquid postules,
Mediam licèt imperij partem rogaueris.

CARMEN HERODIANORVM
de secundæ mensæ bellarijs.

EN portamus, Rex optime, Dimete
Tibi poma electißima.
En quæ mâla inter cætera,
Melimella primas obtinent.
En græcula, & uoconia,
Volema, & ampullacea,
Et orbiculata, cum pyris:
Iuglandes, atq; amygdali,
Auellanæq;, & castaneæ,
Hîc sunt nuces, hîc arborum
Scatent fœtus primarij.

TRY. Se Rex daturum quicquid exoptauero Senarij.
Iurat. Ego, tibi (mater) quod uisum erit, petam.
HERO. Reperisti nata uiam, qua me ulciscar probè,
Ac liberasti summa solicitudine. I,
Tradi tibi protinùs in patella postules
Iohannis à ceruice diuulsum caput.
Præibo ego, ut sim in re præsenti. En ocyùs
Properato, pectoris priusquàm ille regij
Refrigeat feruor. TRY. Mecum iste erit labor.
HERO. Prosit, marite, quod edis. At saltatricula
Qualis uidebatur tibi?
HERO. O luce magis coniunx dilecta coniugi, an Dimeter.

Feres unquàm tanti partus digna præmia?
Quos lusus quanto cum decôre præbuit
Nata hîc tua? Quocirca hisce testibus
Iuraui me daturum quod rogauerit.
HER. Regaliter, ut soles, dixti decus meum.
TRY. Scio iam petituræ factum hoc silentium.
Tradi mihi protinùs in patella postulo
Iohannis à ceruice diuulsum caput.
HE. Dabo quodcunq; obuenerit, ne uel leuis,
Vel periurus uidear. I lictor, amputa
Baptistæ caput, & in quadra positum feras.
Nihil hîc non succedat uolo ex sententia.
Edite, bibite, ridete, plectra tangite.

Symphonia.

CH. HER. Ecce caput (eximia uirgo) adfertur tibi.
TRY. Genitrix ego tibi reddo charissima.
HER. Accipio quàm lubens. Quid obstupescitis?
Non periurus maritus esse uult meus,
Oditq; uel cane peiùs & angue perfidos.
TRY. Non est quod admiremur, principes uiri.
Rerum nouarum, & seditionis autor fuit.
HER. Dapibus expleti iam subite palatia.
Idumen in totam patebit hác iter.
SYRA. Deum immortalem. Quod peractum nunc
scelus est?
Non ista poscit hoc tempus spectacula.

Chorus.

Anapestici.

Sancti ora uiri mersa cruore,
Ense nefando caput ablatum,
Medios inter gerit Heroäs
Regia mensa. Quò me uortam?
Voltis rabiem cernere Bacchi?
Voltis furias discere amoris?
Deniq; uoltis aut epulandi,
Aut saltandi noscere fructus?
Huc huc oculos uertite uestros.
Hæc hæc tacita ponite mente.
Primi ac summi fœderis omne
Cupidus cùm Rex ius uiolaret:
Facilè frangit fasq;, fidemq;,
Tot delitijs extimulatus.
De conuiuis quid memoretur?
Qui ad uentosi nutum domini
Nutant: quiq; ad Nolo, parati
Referunt Nolo: qui ad quodq; Volo,
Reddunt etiam Volo: qui si Non
Dicitur, ecce ingeminant Non,
Sin Ita dictum est, & Ita ingeminant.
Conuictorum tanto è numero
Regis amicus haud erat ullus,

Qui flagitium non tolerandum
Admonitrice uoce uetaret,
Aut metuebant scilicet omnes,
Aut dira ipsi facta probabant.

ACTVS V. SCENA I.

Iehoua.

Senarij. *Secùs tecum est Iohannes, quàm homines putãt.*
Occulta ui uictum sequitur uictoria.
Modus extat definitus, ordoq; stabilis,
Qui nostris continuatur in actionibus:
Per stulta terrea cœlestem sapientiam
Prodere, & Abelos per Caïnos ostendere,
Mundum per infirmum monstrare potentiam,
Per crucis ignominiam donare gloriam.
Ità nostri uarijs exagitationibus
Assuefacti, posita sui fiducia,
Nihil hæsitantes ad nos unos confugiunt.
Gaudia quibus ipsis perpetua parauimus,
Animis inæstimabilia mortalium.

ACTVS V. SCENA II.

Herodias sola.

Heu

Heu quàm ingens æstuat in corde intimo pudor?
Furens ut amor? Mens ut facinoris conscia?
Me turbat ut misto dolore insania? Vt
Insultat accusatrix cogitatio?
Scio, acerba me multorum circunstant odia.
Quid deinde? Oderint me herclè, dũ metuãt modò.
Regina si maneo, mea quid interest?

ACTVS V. SCENA III.

Chorus Plebeiorum. Syra. Discipuli. Herodes. Syrus.

Eamus: Propter hæc epularum gaudia — Trimetri.
E neruo forsitan poterit nunc eximi.
SY. Atrocem ô regem: flebile ô spectaculum:
O dirum, ô horrendum, ô tyrannicum scelus.
Ferro ablatum insontis est nefario caput.
DIS. Quid est, q̃ sic gemitus dat post conuiuium
Syra? Adeamus, atq; rem uocemus, obsecro,
In quæstionẽ: Omnem (Syra) quid lachrymis faciẽ
Fœdasti? Alacrem epulæ debebant reddere.
SY. Non istæ epulæ, non istæ, quas intuerier
Vix potui: mente quas, & corpore fugio.
DIS. Quid? Ecqd' obtigit damnum tibi? Sy. Haud (meũ,
Sed publicum est. Referre præ lachrymis nequeo.
DIS. Siste Syra, fœmineos luctus, & rem explica.

F SY.

SY. Est, est humeris abscißum Baptistæ caput,
Caput humeris abscißum, heu, quàm crudeliter?
DIS. Itáne uero? Dic, dic Syra, facta prædicas?
SY. Hei facta, facta, & nimium uera prædico,
Rex quæ iußit fera suadente coniuge.
DIS. Tyranne uecordißime ad nutum improbæ, &
Arbitrium fœminæ, morti'ne tradis eum,
Qui uoluit atra mortis è caligine
Te ferre ad ipsa ueræ uitæ lumina? An
Virum immerito absumpsisti leto, qui tibi
Pereunti opem & salutem adferre nisus est?
Capiebat hic somnos inter securus feras.
Tu quauis tigride truculentior, haud satis
Habebas in carcerem dare, nisi dederes
Etiam neci. Sed qui fiebat obsecro?
Sceleris tanti esse quæ potuit occasio?
Phalecij. SY. Fortè Herodiadis puella saltans
Herodi placuit nimis nimisq;.
Sic ut coniugis ille delicatæ
Affectuq; meroq; consepultus,
Ac motu salientis obstupescens,
Claram laudibus omnium intuentium
Quiduis poscere uirginem iubêret.
Matris filia persuasa uerbis
Baptistæ caput ergo postulabat.
Rex tristis (simulabat ille quandam

Ni tùm tristiciam) uolensq; nolens
Concessit, uelut ante iure fœdus
Iurando dederat. Ferox ligatum
Iam iam lictor eum petit: rotatq;
Ensem fulmineum: rapitq; ab armis
Et ceruice caput. Tremit per antra
Hîc corpus, caput hîc. Rubente tabo
Tota exundat humus. Ruunt repentè
Tantorum scelerum feri ministri,
Conuiuisq; gerunt caput cruentum
Discumbentibus, ac truci tyranno.
Tum lictor cupidæ dedit puellæ,
Quæ matri cupidissimæ offerebat.
Illi cùm stupuêre cæde facta:
Ridens regia, Quid stupetis? inquit,
Coniunx. Quippè meus maritus odit
Tum periuria, tum negata pacta.
DIS. Fidum regem, at fidum tantummodò, fidem
Præstare cùm grauius multò est, quàm fallere.
CH.PLE. Hæccine oculis æquis alme aspectas pa (ter?
Vatem innocentẽ, perq; doctum, & integrũ
Ità cedere incestæ? Quo uoltu cernere
Poterant tam dira conuiuæ spectacula?
Hijs'ne auspicijs natalis est actus dies?
Datur hoc tandem uocanti ad recta premium? In
Mentem haud uenit Deum sperare iudicem?

DIS. Querelas, ô socij, quid prodest fundere?
Attamen utinam fieret potestas corporis,
Humi ut poßemus nunc honestè condere.
CHO. PLE. Rex prodit: Ex ipso iam postulabitur.
HE. Hui quã irrequietũ animũ gero? furijs quibus
Incensus agitor? Inire somnos dum uolo,
Qui me tremores? quæ auferunt insomnia?
Nunc usq; & usq; recursat promißum improbum,
Nunc sanctimonia Iohannis, & cæsi caput.
Videor mihi interdum patrijs è finibus
Exul, inops, cuiq; contemptus mortalium,
Etiam charißima comitante Herodiade,
Quercu famem in nemore concußa uincere.
Quod utinam non fuißem pollicitus mala
Tanta puellæ petaci, aut nefario
Stetißem promißo. O me atrocem, & impium.
DIS. Aue rex. Factum quôm infectum fieri nequit.
Truncum tamen nobis, & cadauer cedito:
Vt quam neceßitudo nostra postulat,
Beneuolentia præstetur iusta mortuo.
HE. Abite, capite, præstate: ô dolor, dolor.
Vade Syre, reclude carcerem: ô dolor, dolor.
Quàm tædeat cœli conuexa tuerier?
DIS. Tumulus effodatur isthic, quo demortuus
Humetur. Ianuæ gurgustij patent.

Actus